

1195 sinu cessisse: ac tum demum Brundusini, qui eos auxilio commeatuque juverant, arma illata: quibus post multas clades, confessione erroris expressa, pacem viator Venetus reddiderit. Peregrinus Aquilejensis Antistes, ut Taurisinos, cum quibus apertas exercebat inimicitias, opportuniiores ad omnem injuriam haberet, Venetis novo fœdere se junxit: a quibus civitate donatus, ampla in urbe prædia emisse dicitur: auxilia præterea, quotiens opus esset Veneto nomini, ex fœdere est pollicitus. In Peregrini igitur gratiam Taurisini est urbis commercio interdictum.

1198 Per hæc ferme tempora major quædam propagandi Imperii occasio est Venetis oblata. Prærat Græciæ Imperio per id tempus Isachus, homo Christiani nominis amicissimus: cuius fida opera fidoque hospitio (quod in aliis, qui eum præcesserant, raro ob insitum genti in Christianos omnes odium evenerat) Galli & Germani duces in Asiam transmissuri nuper usi fuerant. Huic frater erat minor natu, Alexius nomine, cui adeo ille semper indulserat, ut præter nomen Imperii, quod penes se esse voluit, cum eo ex æquo viveret. Appenderat ad hæc Isachus non multo ante barbaris hostibus (in quorum potestate ille sua temeritate venerat) magnum auri pondus. Sed ingratissimus frater beneficiorum omnium immemor, Isachum dolo captum excæcat, excæcatum in navicula conjicit: nec uno contentus scelere, filium quoque fratris adhuc puerum (quippe qui annum duodecimum nondum egreffus erat) ad id quoque supplicium studio requirit. Is amicorum consilio, & præmatura, qua dicitur, fuisse prudenteria, in ea rerum trepidatione salutem effugio adeptus est. Erant ea tempestate Venetorum opes quam validissimæ. Nam verno ejus anni tempore Bonifacius Monferratenis, Baldoinus Flandriæ, & Henricus Pauli Comites, & cum his Allobrogum & Montisferrati Duces in Asiam adversus Turcos Sarracenosque moturi Venetias venerant. Sunt qui legatos ab his prius missos dicant: sed plures hoc habent. Principes coram cum Venetis pæcti sunt, ut octo peditum millia, quatuor equitum & quingentos, commeatus ad hæc

*Isacus ab
Alexio fra-
tre imperio
privatus, in
carcerem
conjectus
est.*

1201
*Christiani
duces in
Turcos mo-
turi Vene-
tias ve-
nient.*